



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*INTER APOSTOLICAM*MEMORIAE PRODITUR SUMMUM
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM PP. II

PER APOSTOLICAM VISITATIONEM IN HISPANIA DIE XIV MENSIS IUNII ANNO

MCMXCIII PRETIOSO DIADEMATE CORONAVISSE IMAGINEM BEATAE

MARIAE VIRGINIS TITULO «NUESTRA SEÑORA DE LOS MILAGROS», QUAE

IN FRANCISCALI MONASTERIO «DE LA RÁBIDA» NUNCUPATO PIE COLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter

Apostolicam Nostram Visitationem in Hispania hoc anno die XIV huiusce mensis Iunii perquam libenter excipientes preces, quas Venerabilis Frater Raphael González Moralejo, Episcopus Onubensis, litteris die XI mensis Ianuarii anno MCMXCI datis, nomine quoque gregis sui Nobis porregerat, pretioso diademate benedictione sacro redimiimus gratiosam imaginem Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora de los Milagros» quae in Franciscali monasterio «de la Rábida» nuncupato pie custoditur. Antiquus quidem et peculiaris est cultus, quo fideles loci «Palos de la Frontera», ubi memoratum coenobium exstat, iam sub finem XIV saeculi eandem Virginem prosequuntur tamquam caelitem Patronam suam; constat praeterea illum praefectum classis Christophorum Colombo tribus navibus novum mundum petiturum eius impetrasse auxilium ac postea nonnullos Hispaniae reges necnon haud paucos moderatores Civitatum Americae meridianae istuc advenisse eam veneratum. Nunc vero ut huius sollemnis coronationis memoria in posterum perennis vigeat ac pariter indicetur fidelium voluntas praecelsam Dei Genetricem diligendi ac sequendi utpote solidissimam omnium spem atque ad caelum tutissimam viam, audita antea Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, has Apostolicas Litteras dari iubemus, testes verissimas tam fausti ac felicissimi eventus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostris quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
